Memoriæ,

DANIELIS RICHTERI

Conſulis Gorlic. Viri ſine fuco boni.

RICHTERUS, ne cui fortaſſe injurius eſſet,
Publica dum tenuit functio, gnavus erat:
In qua dum cura eſt, fuit ipſe injurius in ſe,
Se ſtudiis crucians emaciansq; ſuis:
Sed tamen hæc verè fuit illi injuria felix:
Si modo rem juſto commeditêre modo.
Nam ſic poſt mortem manet illi fama ſuperſtes,
Publica privatis ante tuliſſe bonis.
Nulla Magiſtratui potis eſt laus cedere major:
Publica quam privis, ſi ferat ante, bonis.

Scrib.
DAVID VECHNERUS.

IPſa Themis, Pietas, Gravitas, Prudentia, Pallas,
Numina grata, ſed hæc Numina mœſta fore
Intueor mœſtus, quis quæſo pectora mœror,
Quis luctus ſubitus Numina tanta capit?
Fallor? an interiit talis, quem Numina quina
Hactenus obſequio ſunt venerata pio.

Inte-